

90

consulto erasum est; inde patet unum ex iis illum fuisse, quorum memoriam Senatus abolendam, nomenque e publicis monumentis ubique eradendum censuit. Plures ex hoc numero fuerunt, quod peculiari disertatione ostendi; at difficile, ne dicam impossibile est, statuere cuiam ex tot improbis Principibus beneficium Pisarense Flaminicæ concessum, referendum sit: illud tamen vel Domitiano, vel Commodo assignandum esse existimo; ideo enim ut memorati juris concessio publico monumento consignari mereretur, legem Papiam Poppæam summâ adhuc religione observari oportebat; ac proinde, quam illam a Severo Imperatore temperatam fuisse ex Tertulliano in Apologet. c. 5. discamus, Abeinam antequam Severus imperio potiretur, vixisse statuendum est; eraso itaque hoc pacto suppleri potest. CVI IMP. CAES. DIVI VESPASIANI F. DOMITIANVS AVG. aut IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS COMMODVS P. F. AVG. IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT. &c.

Ceterum omnia hæc legis Pappiæ Poppeæ capita a Christianis Imperatoribus abolita omnino fuerunt. Constantinus junior pœnas cœlibum & orborum sustulit, omnibusque æquam esse conditionem capessendi quod quisque mereretur, sancivit lege An. Cb. 339. conscriptâ, quæ habetur sub. l. 1. C. de infirmâ pœn. cœlib. Lapsus est Justinianus Nov. LXXXVIII. C. 5. tum quando memoratam Constitutionem Constantino Magno Constantinopolitanæ Urbis conditori assignavit; lex enim Constantini, Constantii, & Constantis nominibus inscripta est, lataque Constantio II. & Constante Coss., qui altero post Constantini Magni obitum anno Consulatum inierunt. Anno Cb. 410. Theodosius junior inter virum & uxorem rationem cessare ex lege Papiæ decimarum, & quamvis non interveniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis decrevit l. 2. C. eod., ac jus liberorum omnibus concessit l. 1. C. de jur. liberor. Denique Anno Cb. 528. Imperator Justinianus matribus filiorum intestato mortuorum legitimam successionem detulit sublatis omnino S. C. Tertulliani conditionibus l. 2. C. eod. quo jus trium liberorum penitus oblitteratum est.

Ex iis, quæ hæctenus disputavimus, intelligitur prænomen relationum CVI referri non posse ad Plebem Urbanam, ut quidam existimabat; non enim fieri potuit ut Imperator præcipui legis Papiæ capitis veniam universæ plebi Pisarense tribuerit, ac tale jus coloniarum Romanæ indulserit, quo Urbis parentis incolæ carebant. Enimvero quænam probabilis causa afferri potest, cur Pisarenses eâ lege solueret, quâ augendæ soboli, multiplicandæque Italicæ ju-

ven-